# DISSERTATIO
## INAUGURALIS MEDICA
DE
# HERPETE,
## ADJECTA CASUS PRACTICO-MEMORABILIS HISTORIA,

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU ATQUE AUCTORITATE,

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE OBTINENDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*PETRUS MATHIAS DAHMEN*

NIEDERZIERO-JULIACENSIS.

IPSIS CALENDIS SEPTEMBRIS MDCCCXVIII

H. L. Q. C.

---

BEROLINI

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

# *Prooemium.*

De nulla fere materia minus, quam de morbis cutaneis, nobis tam antiquorum, quam recentiorum temporum auctores descriptiones, omnibus dubitationibus fugandis idoneas, offerre valuerunt.

Si vero morborum recensitorum haud mediocri ambitu integumenta humana a levissima inde efflorescentia ad deturpationes foedissimas corripi cernimus; si denique compertum est, decursu, temporibus, coelique influxu diversitatem formarum infinitam oriri: non mirabimur, si, licet Arabes, Graeci Romanique, nec minus auctores nostri saeculi, memoria dignissimi, in cutis affectibus variis dignoscendis, eorumque indole scrutanda operam summam locarint, hucusque nos nondum eo pervenisse videmus, ut fidelis satque prolixa hujus morbi descriptio caliginem plane dissipet, quae oculis adhuc obversatur. Et quantum laboris in hac re omnis aevi nationumque cultiorum scriptores consumserunt! Et ne a scopo aberrarent, alii exanthematum expositiones tabulis pictis illustrandas, alii illa in systemata re-

digenda curarunt; neque minus, chemia recentiore duce, desquamationum propria indoles indagata est analytica via. Multi auctorum recentiorum in eo peccarunt, quod descriptiones, nobis a Graecis atque Arabibus traditas, de morbis cutaneis non tantum inter se, sed etiam cum observationibus medicorum nostri aevi contulerunt, neque experientia justa ipsi instructi, neque reputantes, alia saecula coelique alias cutis morborum formas gignant, necesse esse. Praetereaque partim terminis, in linguas vivas perverse et diversimodi versis; partim uni eidemque morbo variis denominationibus impositis, verisque falsas substituendo, innumeros in errores inducti sunt. Quamvis tamen regnum universum cutis affectionum tam vastum dermapathologorum conatibus, nostri saeculi consortium, dilucide investigari nondum potuit, quod forsan nunquam plane contigerit, horum tamen clariores in hac medicinae parte eo progressi sunt, ut, etsi quoad classificationem, nomenclaturamque saepius inter se dissentiant, in genere tamen de re ipsa maxima ex parte conspirent. Inde animi essemus ingratissimi, si illorum, qui exanthematibus tam chronicis quam acutis ad classes generaque distincta reductis, descriptionibusque egregiis, artis pictoriae ope illustratis, medicos practicos facultate ditarunt, illa, miris sub formis in tegumentis nostris luxuriantia, dignos-

cendi, indeque aptissime sanandi, merita agnoscere dubitaremus.

Horum itaque, hoc malum, et propagatione magis magisque in dies auctum, et truculentis sequelis adeo nobis funestum, adumbraturi, vestigia magnam partem premamus, atque singulorum descriptiones opinionesque, super hac materia collectas, denique, quantum per nos stabit, inter se conferamus, et medela addita, casum singularem, quem, qui in medium proferretur, dignum rati sumus, adoriamur.

---

Adumbratio opinionum dermapathologorum maxime insignium, herpetisque definitionum atque morborum, cum illo confusorum:

[1]) Celsus cum herpete impetigineve synonimum esse putat ignem sacrum, sub cujus voce et papularum lichenes herpetesque Graecorum comprehendit.

[2]) Scribonius Largus Zonae solius, tanquam herpetis, mentionem fecit.

[3]) Oribasius ignem sacrum ab herpete secernit, nominatque erysipelas. Illum vero ita depingit: „humor, qui herpetem gignit, acer est, sed si flava bilis pura influat, vehementi acrimonia

1) Cels. lib. 5. cap. 28.
2) Scribon. Larg. comp. med. cap. 13.
3) Oribas. synops. lib. 7. cap. 33.

herpetem exedentem facit, qui continuam cutim cum corrosione comprehendit. Qua de re affectio ipsa herpes nominatur; si vero cum pituita admisceatur, alterum herpetem, qui miliaris dicitur, qui eminentias in cute milii similes excitat, efficiet."

[1]) Actuarius: „Herpes dicitur eo, quod videatur ἕρπειν (quod est serpere per summam cutem), modo hanc ejus partem, modo proximam occupans, quod semper, priore sanata, propinqua ejus vitium excipiat; non secus quam ignis, qui proxima quaeque depascitur, ubi ea, quae prius accensa erant, deficiente jam materia idonea, prius quoque extinguuntur."

[2]) Marcellus, nulla herpetis descriptione exhibita, sub lichene, mentagra quoque vocato, et s b i petigine exanthematibusque, quorum obiter tantum mentionem facit, herpetem intellexisse videtur.

Sed ne justo simus longiores, nec transgrediamur hujus libelli fines, ad eos provocamus scriptores recentiores, qui de morbis hisce prolixius disseruere.

Willan, opere suo praestantissimo, iconibus illustrato, errores veterum, cum Graecorum tum Arabum, nec non confusiones, per versiones or-

1) Act. med. sive de meth. med. Lib. 2. cap. 12.
2) De medicam. , Lib.

tas expositurus, literarum antiquiorum pergnarus, de scriptorum proprietatibus utriusque populi, aut insignibus aut vitiosis, optime tractavit, demonstrans, interpretes unum eundemque cutis morbum, vel pro hujus sede, vel vi, vel denique decursu diversis nominibus saepe designasse, quod erroribus permultis ansam suppeditaverit. Quos submoturus, omnes tam vasti regni morbos cutaneos in ordines septem distribuit, nitentes forma externa habituque, quibus vero genera subdivisa male respondent. Herpetem ad bullas vel vesiculas (ord. 4) refert, epidermide elevata ortas, quae permagnae, haud satis distincte limitatae, humore pellucido stipantur atque aquoso. Papulis ab eo ordine, quas perexiguas, ex epidermide in acutum acumen fastigata, natas, neque humore repletas, neque suppuraturas esse dicit, exclusis, talis est orta confusio, ut ille ipse et Batemann, eum fere semper presso pede secutus, sub lichenis et strophuli volatici nomine tantum speciem herpetis descripserint.

[1]) Hufeland definitionem herpetis maxime conspicuam offert.

Sauvages: „herpes est papularum congeries, seu efflorescentia ex tumoribus exiguis, rubris, aggregatis, pruriginosis, in squamas furfuraceas,

1) System der prakt. Heilk. B. II. Abth. 2.

raro crustaceas, abeuntibus." Inter papulas et pustulas solummodo hanc differentiam statuit, quod illae non suppurant, solumque ex apicibus aliquid humoris demittunt, et denique in squamulas furfuraceas abeunt; hae vero suppuratione vel crustis finiuntur.

[1]) J. P. Frank definitioni admodum distinctae adjungit symptomatum, herpetem comitantium, egregiam expositionem. Desuper humoris semper ejectionem characterem herpetis generi proprium putat.

Quae si cum effatis sequentium, de dermapathologia optime meritorum comparaverimus, patebit, in omnibus herpetis speciebus, quin adeo in illa, quae herpes furfuraceus, farinosus, vel a multis siccus nuncupari solet, quippe qui nil humoris edat, humorem exsudatum obvenire.

[2]) Alibert, cum de herpete furfuraceo disserat, nunquam non exsudationem, illo inde ab initio observato, facile conspicuam animadverti contendit; attamen, quibusdam in casibus oculi vitro armentur, necesse esse, perhibuit.

[3]) Lorry huic definitioni favet, dicens simul, vesiculas saepissime occultas esse. De herpete furfuraceo s. simplice ita loquitur: „Haec mala

1) De c. h. m. epit. lib 4.

2) Précis théorique et pratique sur les maladies de la peau. Paris 1810. pag. 202.

3) Tract. de morb. cutan. (1777.) pag. 299.

si oculis, mediocri vitro armatis, inspicias, congeriem videbis pustularum minimarum, laticem glutinosum exhalantium, qui brevi siccatus abit in terram albam furfuraceam."

Auctores laudatos definitioni sequenti magis minusve accedere videmus: Herpes est papularum vel vesicularum, limbo rubro (area) succinctarum, congeries, quibus, pruritu, tensione, vel ustione comitibus, sponte vel scalpendo disruptis, humor effluit, epidermidem depascens, atque squamas vel crustas tardius relinquens, vel exulceratione partes vicinas atque subjectas adgrediens.

Herpetis generi ab aliis tres, ab aliis plures subjiciuntur species, quibus varietates, quamvis innumerae, prout hanc vel illam referunt, fere semper accenseri queunt.

[1]) Alibert latissime de hac re disserens, adjectis varietatibus, sequentes descripsit species:

## *Species prima.*

### *Herpes furfuraceus.*

Papulae in hoc vel sponte vel unguibus disruptae, mox squamis obteguntur, quae in lemas furfureas farinosasve fatiscunt. Squamae modo cuti firmiter inhaerent, modo facillime tolli queunt. Haec species in has dispescitur varietates:

A. Herpes furfuraceus volitans, a pathologis

1) l. c. pag. 201 — 202.

ita dictus, qui ad migrandum nunc in hanc nunc in illam corporis partem proclivus sit.

B. Herpes furfuraceus circinatus, lemas referens orbiculares, quarum margines media parte asperiores elevatioresque sunt.

## *Species secunda.*

### *Herpes squamosus.*

Huic, in una vel pluribus partibus apparenti, exfoliatio fit squamis, quam speciei praecedentis largioribus, facile unguibus auferendis.

### Varietates:

A. Herpes squamosus madidans, in quo cutis vix non continuo humorem ichorosum, roris guttulas mentientem, emittit, interdum ita exuberantem, quo totum linteum, corpori indutum, imbuatur. Plerumque aures, nasum, partes utriusque sexus genitales, et nonnunquam systema cutaneum universale occupat, quo in casu miseri ineffabilia perpetiuntur incommoda.

B. Herpes squamosus orbicularis.

Hic, saepissime siccus, interdum plures circulos describit concentricos, et squamas siccas, quae modo decidunt, modo novis vicissim supplentur, formans, medias adoriri solet genas.

C. Herpes squamosus centrifugus in volis utriusque manus circulos, vel puncta orbicularia, epidermidis desiccatione albescentis orta.

facit; qui circuli, magis minusve frequentes, inter augescendum a centro ad peripheriam tendunt, donec manus integra epidermide denudatur; quo facto herpes plane fugit.

D. Herpes squamosus lichenoïdes.

Hic squamis duris, coriaceis constat. Sed haec species paululum modo differt a furfuracea, ita ut rebus accidentalibus, vestium fricatione, manuum tactu crebro etc, lichenoïdes furfuraceum haud raro excipiat.

## *Species tertia.*

### *Herpes crustaceus,*

unam vel plures integumentorum partes crustis flavis, griseis, subalbidis subviridibusve superinducens.

### Varietates:

A. Herpes crustaceus flavescens

exsudationem crustaceam sequitur, colorem flavum mellis exsiccati, vel succi gummosi arborum quarundam referens.

B. Herpes crustaceus procumbens

ita dictus, quod, crusta natus, ex nasi alis plerumque pendet.

C. Herpes crustaceus musciformis ita vocatur, quia muscos, tectis insidentes, aequat.

## *Species quarta.*

*Herpes exedens.*

Una vel plures cutis partes pustulis ulcusculisve phagedaenicis hic afficiuntur, quae, pure ichoroso foetidoque effuso, non cutem tantum, sed adeo musculos, cartilagines ossaque corrumpunt.

Varietates:

A. Herpes exedens idiopathicus.

In hoc, nulla mali causa apparente, humorum depravatio peculiaris, quam erui non licet, latet.

B. Herpes exedens scrophulosus.

Si factis fides habenda est, herpes exedens vix non semper scrophulosi nititur.

C. Herpes exedens syphiliticus, luis venereae symptoma.

Observatio. Nobis ipsis, ante octo annos in nosocomio militari Aquisgranensi chirurgi munere fungentibus, historia hujus herpetis maxime diri suppetit. Miles Franco-Gallus, ulceribus syphiliticis nimirum symptomatice per pseudo-medicum sanatis, illo proh dolor! helicem auris dextrae primum afficiente, paulo post corripiebatur, qui, initio quidem nil periculi minitans, in dies vero, remediis efficacissimis irritis, orbiculari sub forma tantum partium vicinarum destruxit, ut diebus octo interpositis ad dimidium capitis directione perpendiculari serperet. Deinde vero, de-

structo oculo dextro, mediique nasi integumento, supra suturam sagittalem frontalemque mox, morte interveniente, substitit. Maxime dolendum est, cerebrum ejus mortui non examinatum esse; attamen pro mali natura truculentissima suspicari licet, illud ab oculo plane exulcerato ad cerebrum ipsum subito migrasse, quo exitus lethalis tam repentinus efficeretur, necesse fuerit.

## *Species quinta.*

### *Herpes pustulosus.*

Unum vel plura cutis loca pustulis magis minusve eximiis, catervatim stipatis, adgreditur. Humor, pustulis circumclusus, siccatus lemis crustisque excipitur, quibus desquamatis ut plurimum maculae rubicundae apparent.

Varietates:

A. Herpes pustulosus mentagra.

Nomen suum a loco affecto, mento, repetit; viris adultis barbae tondendae causa multum adfert molestiae.

B. Herpes pustulosus gutta-rosacea.

Faciem occupans abusu spirituosorum provocatur.

C. Herpes pustulosus miliaris.

Quem a forma pustularum subalbarum, splendentiumque ita vocarunt, seminum milii similium.

D. Herpes pustulosus disseminatus.

Pustulae rubicundae, passim per cutem dis-

persae, illis varietatum laudatarum majores, indolisque pertinacioris sunt.

Observatio. Alii vero auctores miliarem herpeti phlyctenoïdi adnumerant:

Pet. Frank [1]) „miliarem herpetem; pustularum seminibus milii similium a forma; ac si paulo majores observarent vesiculas, phlyctenoïden vocarunt illum; qui majori quam simplex, pruritu, calore, tensione, tumore partis, his a papulis copiosius obsessae, ac rubore per interstitia extenso, incederet."

Tilesius [2]), de herpete phlyctenoïde optime disserens, huc quoque refert miliarem.

## *Species sexta.*

### *Herpes phlyctenoïdes.*

In hoc ad unam vel plures corporis partes phlyctaenae, formae magnitudinisque variae, prorumpunt, quae, epidermide ichore seroso sublevata, nascuntur, ruptaeque squamulas, fere quales post erysipelas oriuntur, relinquunt.

Varietates:

Herpes phlyctenoïdes confluens.

Phlyctaenis corporis superficies ita stipata est, ut sese attingant confluantque.

B. Herpes phlyctenoïdes Zonaeformis

1) l. c. pag. 144.

2) Theorie der flechtenartigen Ausschläge 1802. pag. 41 — 42.

Varietatem hanc auctores sub nomine Zonae, Zosteris descripserunt.

Observatio. Herpetico etiam exanthematum generi cum Alibert Zonam, Zosterem adnumerant:

Felix Plater, qui Zosterem sub nomine maculae latae seu papulae ferae describit [1]) Van Tulp, apud quem hoc malum exedens praecordiorum herpes [2]) vocatur, et Hufeland [3]). Inter hos etiam imprimis notandus est Rob. Willan (über die Hautk., aus dem Engl. v. F. G. Friese. Bresl. 1799 — 1816.)

Pro singulari exanthematum genere Zosterem habent: De Haen, Burserius de Kanilfeld et Wichmann.

Haec quoque est inter Zosterem et herpetem analogia, quod in pustulis ejusdem rarius fit suppuratio, sed solum sanies acris atque exedens ex ruptis pustulis effluit. Sic etiam escharas format Zoster, easque escharis herpeticis valde similes. Attamen silentio non praeteribimus, quibus ab herpete distincte differat: Herpes facillime e loco, quo primum comparuit, in alium migrat, atque serpens ejus natura, etsi haud unicum, principem tamen herpetis characterem sistere videtur, cum

1) Opp. omn. Tom. II. pag. 23.
2) Observat. medicinal. libr. III. cap. 44.
3) l. c.

contra Zosteri maxime proprium id esse soleat, ut locum, quem semel occupat, firmiter servet; deinde herpes exedens seu ἐσθιόμενος, (cui prae caeteris Zoster similis esse dicitur) pessima ulcera, cancrosis similia, eaque diuturna, pertinacia ostendit, sicut in universum herpes ad pertinacissima exanthemata, quoad durationem, pertinet, chronicamque formam nusquam hucusque deseruit. Zoster vero characterem acutorum exanthematum fere semper sibi vindicat, decursuque suo peracto, hominem sponte deserit. Quibus consideratis, qui Zosterem perhibent constituere proprium, diversumque ab omnibus aliis genus exanthematum, optimas partes elegisse videntur, donec posteritas certiora nos docuerit.

### *Species septima.*

#### *Herpes erythemoïdes.*

Elevationibus cutis rubris inflammatisque constans, unam vel plures corporis partes invadit, quibus postea epidermidis leviores exfoliationes succedunt.

Observatio. Ab auctoribus aliis erythematis nulla species ad herpetis genus relata est. Quorum de herpete phlyctenoïde et de erysipelate effata reputantes, nescimus, an alterutri adnumeremus, an prorsus ad erythema ipsum rejiciamus.

Hae sunt species varietatesque herpetis, quae suffi-

sufficiant medico; nam, ab aliis porro adjectae, solummodo a mali sede, vel forma accidentali nomina desumunt; unde herpes scrotalis, collaris, labialis, verrucosus etc.

## *Aetiologia.*

Propria quidem herpetis causa proxima, quippe quae una eademque est cum morbo ipso, in se - et excretione systematis cutanei inest, quibus structura vel cutis organisatio reproductione praeternaturali alienatur. Sed noli ex nobis quaerere, quae sit natura hujus mali interna? Cui quaestioni nec quoad hunc, nec quoad alium morbum pathologi, quaecumque demum definitiones ex variis medicinae systematibus fluxerint, nondum hucusque accurate satisfacere valuerunt. Quas tenebras fugatum iri, spes haud adeo laeta affulget, quod humanae imbecillitati rerumque medicarum obscuritati adscribendum. Animum igitur magis attendamus ad causas remotas, quas huic affectui cutaneo utplurimum ansam suppeditare cernimus:

1. Dispositio haereditaria psorica. Vix numerari licet exempla, quibus elucet, psoricam dispositionem a parentibus in subolem generatione transferri, quin hanc eadem herpetis specie non solum, sed etiam totas familias saepenumero corripi videmus.

2. Functio cutis laesa: transpiratio tam im-

minuta vel impedita, quam nimis aucta. Huc itaque referendae sunt noxae sequentes: immunditics omnino, vestimenta lanea aliaque non satis cum puris commutata, domicilia humida, balnea neglecta, calor auctus, frigore subito exceptus, coelumque pluvium, nebulosum, et aliae in cutem potentiae.

3. Viscerum morbi, lienis, praecipue hepatis, deinde bilis renumque alienata secretio.

4. Fluxus sanguinis suppressi cessantesve: catameniales haemorrhoidalesque; graviditas, abusus ciborum acrium, salsorum, piperatorum; potuum vinosorum aliorumque fermentatorum, atque omnino in diaeta errores commissi.

5. Omnes fere aliae causae morbosae: syphilis, scrophulosis, arthritis, rheumatismus, scorbutusque quamcumque herpetis formam sibi vindicare queunt.

6. Animi pathemata: ira, tristitia, exinde prae aliis temperamentum melancholicum et sanguineum; plethora cutanea, infantia, senectus, pubertatis evolutio, anni tempora certa, quo ver et autumnus pertinent.

7. Deinde incitamenta mere externa: vestimenta pannosa, fricantia, tincta, rebus acribus imbuta, v. c. collaria foeminarum ex pilo humano, vel presbyterorum ex lino confecta; solis radiorum ardor; medicamina rodentia, vesicantia, quip

pe quod ex historia casus, notatu digni, adjecta sat liquebit.

## Prognosis.

Haec quidem eo pejor est, quo inveteratius est malum; quo plures jam invasit partes, quoque malignius vel per-se, vel prouti aliis morbis complicatum est.

Infausta erit,

1. herpes si gentilicius est.

2. si corpora debilitata, cacochymica eo conflictantur.

3. Si pro indole fugace, quae praecipue furfuracei et minus exedentis, quam aliuscunque speciei est, vel sponte vel ausu temerario perversaque curandi methodo locum prius infectum derelinquit, ita ut metastasis ad organa nobiliora: oculos, pulmones, praesertim hepar aliave fiat.

4. Si illi fons est, qui difficillime aut nunquam exhauriri potest: obstructiones viscerum inveteratae, senectus etc.

## Curatio.

Varius est modus medendi pro natura et constitutione corporis aegroti, pro causis et pro aliis morbis complicatis, qui quidem, ubi tempus non urget, tollendi sunt prius quam morbus ipse; contra vero, ubi nullum temporis damnum facien-

dum, utriusque indicationis remedia conjungenda sunt.

Ut medela herpeti rationalis contingat, haec respice:

1. Qua ex origine fluxerit, an alicujus morbi latentis symptoma sit; quae anomaliae digestionis, secretionum et hepatis et renum; systematis uropoëtici etc. vel praecesserint vel etiamnum obviae sint? Porro diligenter observetur, quomodo herpes aliis functionibus laesis respondeat, an eo sublato, illae renascantur an vice versa?

2. Num aliqua affectione aeger cum illo simul, an antea correptus sit: scorbutica, arthritica, scrophulosa, syphilitica, aliaque humorum dyscrasia?

3. Quod vitae genus herpeticus hucusque degerit, utrum victu parco an lauto usus sit; Baccho venerine indulserit; aut omnino saepius, an vix unquam in diaeta peccaverit?

4. Quis sit corporis habitus, valens imbecillisne?

Ex his demum sequitur, nullam medendi methodum cuique casui idoneam censendam esse. Attamen medico rationali, reputatis reputandis, haud erit difficile, pro individualitate optimas partes amplecti.

Cum fines harum pagellarum latius porrigerentur, et therapia specialis vix non plurimorum morborum indolis chronicae nobis exhibenda esset, si curationem omnium complicationum causarumque remotarum seorsim oblaturi essemus: in genere herpetis curandi viam, experientia omnis aevi stratam, carpamus.

## Curatio interna.

Quae ut succedat, prae omnibus vitae genus, esculenta potulentaque illi respondere oportet. Noxii sunt omnes cibi pingues, oleosi, tenaces, acres, valde salsi et aromatici, quorum alteri digestionem aggravant, alteri sanguinem fervefaciunt. Utantur herpetici cibis vegetabilibus, acidulis, tum coctis tum crudis, digestu facilibus alvumque leniter moventibus, quod praecipue est pomorum recentium. Animalibus in universum praestant vegetabilia. Aer inspiretur purus.

Medicamina propria vi adversus herpetem eminentia:

Antimonialia. Haec semper fere bono cum successu tentantur, dosibus largis, attamen digestionis visceribus accommodatis. Magnus quidem est illorum effectus in functionem cutaneam, resorptionem, se- et excretionem omnis generis, unde vis quoque in vasa lymphatica, nec non capillaria agendi intelligitur. Imprimis vero ex hac remediorum classe adhibenda sunt: Aethiops antim., Sulphur. Antim. aurat. et Antimon. crud.

Dulcamara inter vegetabilia maxime excellit facultate antiherpetica, ad doses sat eximias propinata sub decocti vel extracti forma, quod aptissime adjungitur Antimonio Sulphurique.

℞. Aethiop. antimon. ʒj.
Extract. Dulcamar. ʒjj.
Pulver. stipit. Dulcamar. q. s.,
ut f. pil. gr. jj. S. ter quotidie 10—15 sumantur.

Neque minoris, et fere ejusdem emolumenti

est usus continuus decocti lign. Sassafr., rad. Saponar., Sarsaparill., Scabios. arv., Rum. patient., Lapath. acut., Bardan., herb. Jaceae. Fumar, cort. ulmi. Experientia duce herbae recentes siccatis longe antecellunt. Anni tempore igitur favente súcci quarundam recenter expressi aliicunque formae praeferendi sunt. Usus quoque frequens lactis solius vel seri, jusculorum ex viperis, testudinibus, ranis, pullis gallinaceis coctorum valde conducit.

*Graphites.* Hujus remedii egregiam virtutem, tam externe quam interne in hoc malo adplicati, in polyclinico illustr. Hufeland nos ipsi experti sumus. In complicatione cum arthritide Antimon. et Quajac.; cum scabie Sulphur; cum syphili Mercurium addi convenit.

*Quajacum.* Gummi ejusdem vel solum, vel melius Antimonio, Sulphuri nuptum, salutarem plerumque effectum exserit, praecipue vero, si arthritis, rheumatismus chronicus luesque venerea herpetem comitantur. Lignum rasum in decocto, ex ℥ß ad ℥j. parato, quotidie exhauritur.

*Sulphur* virtute gaudet specifica, congestione sanguinis provocata, cutis functionem actionemque vitalem systematis lymphatici laesam redintegrandi. Haec Sulphuris praestantia tam in scabie quam in herpete aliisque impetiginibus agnita est. Inde fontes minerales in cutis affectibus, maximam partem sulphure contento, egregios afferunt effectus.

*Mercurialia.* Quamquam haec a nonnullis in herpete rejecta, noxia dicuntur, minime tamen illis abstinere par est. In herpetibus inveteratis,

rebellibusque, omnibus aliis medicaminibus irritis, Hydrargyri praeparata unicum auxilium tandem attulerunt. Validissime eorum agunt salia, minori vi pollent oxyda, et minima oxydula. Creberrime adhibetur Calomel, vel Sulph. aurat. Antimon. (pulv. Plumer.) vel quoque aliis: Guajac., Dulcamar, Camphor., Digital. p., junctum.

℞. Calomel.
Sulph. Antimon. aur.
Fol. Digit. purp. āā gr. *j*.
Resin. Guajac. gr. *X* — *Xv*.
Elaeosacch. Foenicul. ℈*j*.

M. F. pulv. disp. dos. *Vjjj*. S. mane et vespere sumatur una.

In malis pertinacissimis eximiam Merc. sublim. corros. virtutem experientia praedicat.

Etiam nunc quaeritur, an inunctiones mercuriales, novo ritu institutae (Hungercur), in casibus desperatissimis ultimum refugium se praestent.

Semper interea medicus cauta manu Hydrargyrum laudatum porrigat, et ne gravius peccet, illud missum faciat, corporibus debilitatis, teneris, phthisicis, sensibilibus, scorbuticis cachecticisque.

Alumen interdum in magna mali pertinacia, ad drachmam unam decoct. rad. Sarsaparill. immixtum et quotidie exhaustum expedit.

Haud raro remedia modo recensita, causis supra memoratis herpetem sustentantibus, v. c. viscerum obstructionibus; mensium haemorrhoidumve suppressione, et urinae secretione imminuta, humorum variis dyscrasiis etc., frustra in usum vocantur, quibus singulis pro causae primariae natura propria medela opponatur.

Neque minus illa medicamina propter universalem vel localem virium languorem irrita erunt, nisi huic occurritur tonicis, amaris excitantibusque: rad. Gentian., herb. Millefol., lign. Quass. cort. Cascarill., Aurant., Chin., vel solis adhibendis, vel antiherpeticis nuptis, quibus victus lautior adjungendus est.

Deinde contendere non haesito, externis remediis neglectis, internis nimiam fidem pluries haberi. Quis enim est numerus cutis affectuum mera causa locali natorum?

### *Curatio externa.*

Haec summo jure praecedentem superare dicitur in sanandis morbis cutaneis, quippe qui maxima ex parte fontem suum, ex integumentis ipsis scaturientem agnoscunt, ergo hunc via directa exsiccari fere nunquam non convenit. Et ponamus, fomitem ipsum in partibus internis latere, medela externa omissa, vix unquam eventus prosper curationi alii continget. Corpus commoveatur sub divo puro ambulando laborandove, diligenterque vestitu mundo, saepius mutato ab immunditie vindicetur. Prae omnibus vero commendanda sunt balnea, vel frigida vel calida, multis modis salutifera. Quorum vero in cutem varius effectus, pro vario caloris gradu, pro contentis et vario temporis spatio, quo adhibentur. Ut inde usus conducat, medicus ad mali indolem propriam ante respiciat, necesse est, quam ea praecipiat.

Tegumentis inflammatis, tensis, herpete obsessis, balnea tepida, universalia vel quoque topica,

tam simplicia quam lacte conjuncta, vel ex speciebus emollientibus cocta, nec non ejusmodi fomentationes reactionem immodicam vi sopiente compescunt.

Balnea calida, ubi systema cutaneum vasorumque languet, et reactione excitanda opus est, potius adhibentur: simplicia, quae ex sola aqua fiunt, vel composita, quae solutas simul gerunt substantias medicatas alias.

Magna herpeticis salus fuit in fontibus mineralibus: Aquisgranensibus, Nenndorfensibus, Badensibus, Toeplizensibus, Landeckianis etc., neque minus in balneis maritimis, quibus deficientibus balnea artificialia, quae soluto in aqua calida sapone, sale culinari, Sulphuris hepate, herbisve immissis, pro indicatione praesente paranda sunt, substituuntur.

Balnea vaporis, ex plantis emollientibus evoluti, integumenta sicca, tactu aspera interdum magno cum successu molliora reddunt, ita ut exhalatio prius suppressa redintegretur, et medicaminibus antea irritis nunc medendi via struatur.

Praeterea topica alia, loco affecto ipsi aut viciniae admota, recte opitulantur: unguent. Sulphurat. simpl. valde commendandum, praecipue in herpete squamoso; si vero affectio herpetica inveteratior est, loco Sulphuris puri adipi suillae vel unguent. rosat. admisceatur hepar Sulphuris salinum, quae compositio, aeque ac ol. animal. Dippel. praesertim in herpete scrophuloso exedente, irritatione cutaneae vitalitatis provocata, maximi est effectus; unguent. Hydrarg. alb. herpetis marginibus apte adplicatur; unguent. Hy-

drarg. citrin., oxygenat., Zinci bis vel ter per diem ad pisi magnitudinem herpeti illita; unguent. Calc. ex V. Calc. et ol. Amygd. āā parat., ol. nuc. jugl. rec. expr., V. Calc., solutiones Merc. sublim. corrosiv. vitriol. Zinc., decoct. nuc. jugl, virid. cort. Ulmi etc.

Haud raro herpes, praecipue exedens, cum phlogosi, tensione doloreque conjunctus est, quae remediis efficacioribus insuper augerentur. Hinc emollientia et anodina: cataplamata ex pane, lacte, Malvae et Hyosciami foliis composita; item fomenta ex decocto flor. Sambuc. herb. Malv., neque minus lac tepidum, flos aut etiam serum lactis, et oleum commendantur; et adeo, necessitate urgente, Plumbi, facultatis suae exsiccantis reprimentisque immemores, virtutem sedantem, sat agnitam, per breve temporis spatium, donec incommoda lenita sint, invocemus, necesse est; quem in finem V. saturn. Goul. linteis inspersam, vel cataplasmati, ex pane parato, admixtam, maximo cum emolumento adplicabimus.

Venaesectio rarissime instituenda est, tum demum, si in plethoricis robustioribusque ad herpetem pruritus vehemens, fere urens, quin inflammatio accedit, quod prae coeteris in herpete crustaceo flavescente, aeque ac in Zona, a quibusdam, uti supra proposuimus, herpeti adjuncta, occurrit, ita ut hac irritatione febris inflammatoria provocetur. Loco phlebotomiae hirudines quoque et cucurbitulae ad partes vicinas nonnunquam adplicari queunt.

Herpetis in nonnullis speciebus pustulae vel propter ingentem pruritum frictione, vel vestium

attritu, disruptae, fundunt humorem tenacem, cujus ope indusium cum partibus affectis firmiter cohaeret et quasi concrescit, quod incommodum praecaveri potest, si attritae partes linteo teguntur, unguent. simpl. oblito.

Herpes faciei, vel aliis locis moleste insidens, apta ratione ulceribus artificialibus in viciniam evocatur. Haec imprimis, illo tanquam crisi ex fonte interno: phthisi pulmonali, haemorrhoidibus anomalis, arthritide etc. profecto, insignem effectum praestantia, maximam noxam latura essent, si jam dyscrasia herpetica ex toto humores depravaverit.

Herpes inveteratus, omnibus resistens, vesicatorio sibi imposito, vel aliis remediis corrodentibus, quippe quod historia sequens testatum facit, funditus extinguendus est.

## *Historia morbi.*

Adolescens septemdecim annorum, procerioris staturae constitutionisque validioris, a pueritia, exceptis morbillis variolisque, nullis malis gravibus conflictatus, nobis, ut illi sanaretur herpes originis peculiaris, ante tres annos curandus traditus est, quem quo melius depingamus, historiam, quam diligentissime tam a parentibus, quam a juvene ipso exploravimus, ut quidquid scitu dignum esset, inde erueremus, inde ab initio orsi, proferre haud alienum erit. Cui infanti naevus maternus magnitudinis acus apicis, coloris cerasini, pone ramum mandibulae dextrum, supra gl. parotidem sedens, inter adolescendum ita luxuriabat, ut decimo aetatis anno ambitum monetae mino-

ris adaequaret. Parentes igitur veriti, ne in dies augescendo pro sede sua foedum aspectum aliquando offerret, chirurgi cujusdem implorarunt auxilium, corrosivis malum deleturi, quorum irritatione non tantum magis accrevit, sed pustulis ortis superficies herpetica evasit exfoliationis farinosae. Quo exterriti illi per biennium medelam omnem detrectantes, naturae soli confisi sunt. Quo autem elapso, morbo vehementer aggravescente inducti, medicos chirurgosque varios per vices consuluerunt, qui externa, vix numeranda remedia sensim in usum vocarunt, quorum praecipua sunt: unguenta: Mercurialia, Zinci, Calcis; solutiones Merc. sublim. corros., vitriol. Zinci; cataplasmata ex herbis variis acribus parata; lap. infern. et vesicatoria loco affecto ipsi imposita, internis valentioribus: Sulph. Antim. aur., Calomel, gumm. Guajac., Digital. p., et aliis specificae facultatis in morbos cutaneos agendi, nupta. Tam multis per triennii spatium nequidquam adhibitis, nos ipsi, tandem curam suscipere commoti, mali formam hanc comperimus: crusta cohaerens, crassa, coloris fere cinerei, semperque loco aliquo laticem glutinosum, puriformem foetoris proprii effundens, quae maxima ex parte cuti firmiter inhaerebat; duodecim circiter dies vero cum incubuisset, vel, adplicatis emollientibus, prius fissa decidebat. Quo facto cutis duarum fere linearum elevatio coloris cerasini ad partem pone auriculam, capillis carentem, vix non totam, et deorsum mediam claviculam versus in tantum patens, ut pollices circiter quinque in longitudinem, duos

vere in diametrum mediae partis basisque haberet; quae elevatio pustulis, area inflammata succinctis, obsita, humorem flavescentem mellis exsiccati similem, glutinosum ejicientibus, quo sensim condensato, lemae initio albidae, deinde vero, his coacervatis, squamae, et postremo crusta, supra memorata, formabantur, ita ut haec, quamvis forte dejecta, triduo plane regeneraretur. Ex dictis nunc sequitur, superficiem naevi perdurantis, ac latius serpentis in herpetem abiisse crustaceum.

Medicaminibus tam efficacibus tum externe tum interne antea frustra propinatis, de omni spe fere decessuri, per aliquod tempus adversus scrophulosin solummodo, quam, licet tumoribus glandulosis deficientibus, latere, et ita causam primariam mali cutanei esse putabamus; operati sumus. Omnibus propemodum remediis antiscrophulosis, nec non antiherpeticis exhaustis, cura interna, hucusque prorsus irrita, malum topicum tantum arbitrati, plane abstinuimus. Auxiliis mitioribus autem, historia morbi teste, eventu destitutis, ad destruentia animum appulimus. Quo consilio vesicatoriis ad labem ipsam, diu suppurantibus, incassum tentatis, ad corrodentia escharoticaque incubuimus, quorum omnium vix ullum nobis aptius compertum est, quam:

℞. Lapid. infernal. ℈jj.
solv. in V. destillat.
acid. Nitr. āā ℥jj.

Ex quo, ope penicilli naevi herpetici superficies, a crusta emollientibus ante denudata, illita, protinus

escharam sortita est. Quae cum autem per plures dies inhaereret, evenit, ut post discessum ejus tantundem, quantum abolitum fuit, subtus renasceretur, quocirca escharam illam emollientibus maturius solito auferendam curavimus, qua submota, remedium antea tentatum repeti posset, quo tutius regeneratione impedita, extirpatio radicitus succedat. Emollientium abunde tentatorum praestantissimum se exhibuit: cataplasma ex foliis Malvae recentis ex lacte coctis ante decubitum, escharae prius oleo illitae impositum, quae postero mane inde decidebat. Quo facto iterum ad remedium pristinum confugimus. Qua curatione per duos menses continuata, malum, nulla sequela perniciosa residente, plane deletum est.

---

Ita quae nobis de herpete dicenda erant, exposuimus. Haud dubie sunt in iis nonnulla, quae aut penitius segregari, aut melius constitui possint; quod si quis alius, certe nos imprimis sentimus. Historiam modo adumbratam non ideo in lucem protulimus, ut eventu curae fortuito superbiremus, sed potius, ut inde pateret, quam saepe mala herpetica tantum sint localia, et quantum veritatis subsit monitioni auctorum, ne naevi temere destruantur, praecipientium. Deinde, methodum hanc destruendi herpetes pertinacissimos ex usu fore in aliis quoque ejusdem naturae, arbitrantes, lecturi ut fructum inde carpant, in votis intimis habemus.

# CURRICULUM VITAE
## EX DECRETO
## GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS
## ADIECTUM.

Ego Petrus Mathias Dahmen a. d. quartum Calend. Octobr. a. MDCCLXXXIX in pago, qui Niederzier dicitur, haud procul a Juliaco, castello Archiducatus Rheni inferioris, natus sum. In domo paterna ad nonum annum illis literis, quibus aetas puerilis imbui solet, instructus, in gymnasio, quod Marcoduri floret, literarum humaniorum elementa per quadriennium percepi. Quo elapso Bonnam ad Rhenum, artem medicinae ac chirurgiae culturus, me contuli. Ibi civibus academicis adscriptus, praeter studium linguarum veterum, quibus horis subsecivis operam dedi, praelectionibus de chemia, physice es physiologia illustr. Wurzer; de botanice et historia naturali illustr. Creveldt; de anatomia et arte obstetricia illustr. Wegeler, virorum, quorum nomina commemorare mihi est officium sanctissimum, per triennium interfui. Tum vero proh dolor! patre dilectissimo morte orbatus, relicta musarum sede, domum me recepi. Unde, praeterlapso biennio, studiis academicis repetendis recolendisque consumto, jussu imperii Franco-Gallici evocatus, in nosocomio militari Aquisgranensi chirurgi munus obii. Quadriennio deinde curae aegrotorum dicato, tandem mihi contigit, ut precatus dimitterer.

Quo facto, paulo post examen pro licentiati gradu, quam Galli dicunt officier de santé, capessendo, anno MDCCCXI Aquisgrani subii. Quo feliciter superato, diploma medicinae ac chirurgiae faciendae Argentoratensi ab universitate in me collatum est. Domum igitur reversus circa praxin medicam versatus sum, donec studio artis magis pro viribus excolendae incensus, matre tenerrima laribusque patriis animo tristissimo relictis, hanc urbem celeberrimam, Aesculapii delicias, adii, quae idibus juliis anni praeteriti me exceptum in cives academicos suos retulit. Ubi docuère me illusr. Hufeland therapiam specialem morborum chronicorum, generalem et artem medendi (in instituto polyclinico); illustr. Hermbstaedt chemiam; illustr. Knape syndesmologiam, splanchnologiam, medicinam forensem, et artem cadavera secandi; illustr. Rudolphi anatomiam, doctrinam de entozois, nec non anatomiam specialem organorum sensuum, atque artem cadavera secandi; illustr. de Siebold artem obstetriciam, tum theoreticam tum practicam (in instituto clinico obstetricio universitatis literariae); illustr. Horn doctrinam de morbis venereis et artem medendi (in instituto clinico nosocomii caritatis); illustr. Graefe doctrinam de ossium morbis dynamicis, operationibus chirurgicis et de akiurgia.

Tentamen et examen rigorosum coram gratiosa facultate medica quum sustinuerim, examineque artis obstetriciae, cursu anatomico-chirurgico et clinico absolutis, summos in medicina et chirurgia honores in me conferendos omni, qua decet, verecundia ambio.

## *THESES DEFENDENDAE.*

1. *Calomel inter antiphlogistica non est referendum.*
2. *Encephalitis et typhomania distingui nequeunt.*
3. *Febris verminosa non existit.*
4. *Varia corporis organa, aliud sthenia aliud asthenia, laborare queunt.*
5. *Febris puerperalis morbus propriae indolis non est.*
6. *Injectiones adstringentes in haemorrhagiis uteri non sunt rejiciendae.*

SOME TIGHT
GUTTERS